



OBSERVATIONVM NONNVLLARVM

DE

PATRVN GRAECORVM AVCTORITATE ET VSV
IN CONSTITVENDA VERSIONVM GRAECARVM
V. T. LECTIONE GENVINA

P A R S I V.

QVA AD

NATALE CHRISTI SACRVM

A. M D C C X C V I I I

IN ACADEMIA VITEBERGENSI

RELIGIOSE CELEBRANDVM

P V B L I C O N O M I N E

I N V I T A T

IOHANNES FRIEDERICVS SCHLEVSNER

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTOR, HVIVSQVE IN ACADEMIA VITE-
BERGENSI PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, CONSISTORII ECCLESIASTICI
ASSESSOR, AEDI ARCIS ET ACADEMIAE PRAEPOSITVS, H. T.
ACADEMIAE RECTOR ET ORDINIS THEOLOG. DECANVS.

V I T E B E R G A E,

LITTERIS CHRISTIANI PHILIPPI MELTZER.



OSSELTIONUM KONVALLIAM

PATRIBUS GRAECORUM AUCTORITATE ET USU
IN CONSTITUENDA VERSIONUM GRAECARUM
A. P. SECTIONE GENUINA

PARIS

1840

IN TALE CHRISTI SACRUM

A. M. B. C. O. V. I. I.

IN ACADEMIA VITTELLOREN

RAIIONIS GELLESANDUM

P. V. E. I. C. O. N. O. M. I. N. E.

IOHANNES TERTIUS SCHLEYSER

THESEOS PROPTER DOCT. UNIVERS. IN ACADEMIA
VITTELLOREN RAIIONIS GELLESANDUM
P. V. E. I. C. O. N. O. M. I. N. E.
A. M. B. C. O. V. I. I.

VIENNA

1840



Quum iam tres libellos observationum de Patrum graecorum auctoritate et usu in constituenda versionum graecarum V. T. lectione genuina ediderimus, nec inutile, nec iniucundum erit, eorum, quae sunt hac de re a nobis hucusque disputata, brevem exhibere conspectum, ut itineris iamiam emensi a nobis, ac conficiendae adhuc, ut ad finem propositum perveniamus, viae, prospectus lectorum oculis subiiciatur. Omnia autem, quae in prioribus libellis docere ac praecipere conati sumus, ut reprehenderemus ac castigarem temeritatem eorum, qui in colligendis e Patrum graecorum scriptis ad versiones V. T. graecas variis lectionibus nulla cautione ac sagacitate opus esse existimant, ac sine omni delectu omnes eorum a textu interpretum V. T. graecorum impresso eorumque codicibus hucusque collatis aberrationes compilare solent, ad haec fere momenta revocari possunt. Qui nempe Scriptis Patrum graecorum ad amplificandos criseos sacrae fontes recte ac cum fructu uti volet, ad hoc omnium primo curam suam dirigat necesse est, ut, an in singulis locis SS. a Patribus graecis laudatis editiones, quibus utatur, textum authenticum ac antiquum exhibeant, certo ipsi constet. Qua investigatione admodum nonnunquam molesta ac difficili eo minus superfedere potest, quo certius est, haud paucos olim librarios, diverso admodum fine et differentiibus etiam causis, Patrum graecorum scriptis admodum violentas intulisse manus, et consilio in iisdem haud raro alia addidisse, alia detraxisse, alia denique mero suo arbitratu immutasse, adeoque non semper dicta SS. in Patrum Commentariis obvia ita descripsisse, ut ipsi doctores Ecclesiae Veteris ea laudaverant, sed haud raro in locum textus sacri, quem singuli scriptores sequuti fuerant, alium substituisse e codicibus iunioribus, aut libris iam editis, ipsis magis familiarem. Non minus autem satis inter omnes constat, ipsos Patres antiquiores in allegandis singulis SS. locis interdum minus accuratos fuisse, et non solum inter legendum, oculis aut memoria deceptos, ab originali scriptura aberrasse, sed etiam negligentia abreptos, ac pro lubitu haud raro textum codicum V. T. graecorum, quo

utebantur, modo hac, modo illa ratione immutasse. Huius autem eorum
 negligentiae ac licentiae in excitandis SS. locis tam varii modi reperiu-
 tur, ut necessarium nobis videretur, certas classes constitutere, ad quas,
 quae huc pertineant, omnia commode revocari possint. Rationem ita-
 que sequentes, qua *Dan. Heinsius* in *Prolegomenis in Exercitationes sa-
 cras*, sed ratione librorum N. T. vnicè habita, usus est, idoneis exemplis
 primum docuimus, Patres graecos, vel memoriter describentes, vel paulo
 negligentiores, voces ac formulas loquendi, quae prorsus idem valent,
 in earum, quae in textu sacro legebantur, locum interdum reposuisse.
 Hac opportunitate oblata, nec hoc silentio plane praeterire poteramus,
 pro arbitrio a Patribus Graecis commutatas esse haud raro vocum for-
 mas, numeros, casus, tempora, modos, voces simplices cum compositis,
 et compositas cum simplicibus, compositarum item alias cum aliis.
 Mentionem deinde fecimus libertatis, quam sibi haud raro sumserunt Pa-
 tres graeci, dum de singulis verbis parum solliciti, sensum liberius expres-
 serunt. Hanc denique exceptit vberior disputatio de consuetudine PP.
 GG. in adducendis singulis SS. locis interpretum partes agendi, voces fa-
 ciliores intellectu ac saepius obvias substituendi difficilioribus ac rarioribus,
 ac interpretationes suas et glossata ipsi Versionis Alexandrinae, ac reliqua-
 rum Versionum graecarum textui inferendi, qua intelligentiae atque expla-
 nationis verborum variorum notionumque eorum reconditarum adiumen-
 ta ac firmamenta interpretibus SS. praestari, ostendere conati sumus. De
 quibus omnibus cum in libellis hucusque editis satis diligenter ac copiose
 exposuisse nobis videamur, ordinis rationem postulare apparet, ut nunc
 quoque ostendamus, *eorundem Patrum graecorum culpa ac levitate in lo-
 cis SS., quae adduxerunt, haud raro alia omissa, alia autem addita esse.*
 Huius consuetudinis animadversio eo magis, cuique scriptis Patrum grae-
 corum ad iudicium certum de integritate textus Versionum graecarum V.
 T. ferendum uti cupienti, necessaria videtur, quo certius est, reperiri hu-
 ius negligentiae vestigia in talibus quoque locis SS., ubi, annon vere in
 codicibus suis alia addita, omissa alia, invenerint, suspicari ac conicere
 aliquis facile posset. Iam vero quod illa SS. loca attinet, quae ita lauda-
 runt PP. GG., ut vel verba singula, vel formulas loquendi, sententias adeo
 integras omitterent, quae nunc quidem in codicibus Versionum graeca-
 rum V. T. reperiuntur, nobis certe persuasissimum est, non semper idem
 de singulis iudicium ferendum esse ab iis, qui causas huius eorum negle-
 gen-

gentiae indagare ac docere velint. Nimirum vocem aliquam aut loquendi formulam haud raro omiserunt Patres graeci, quod eam, vel per se esse superfluum, et salva sententiae integritate abesse posse crederent, vel ad argumentum orationis ac disputationis, quod tunc forte tractabant, non necessario pertinere ipsis videretur. Frequenter etiam hac licentia vsi mihi esse videntur, partim nimio brevitatis studio, partim incuria ac negligentia in describendo textu sacro abrepti, haud raro etiam memoriae fidelitate nimium freti. Huic assertioni nostrae defendendae ac comprobandae causa nolumus iam vrgere loca Patrum graecorum, vbi pronomina demonstrativa et relativa saepissime ab iis omissa reperiuntur, cum partim hoc iam satis demonstraverit *J. E. Gravius* in *Diss. de variis vitiis LXX Interpretum* etc. p. 31 sequ. partim eiusdem negligentiae etiam ipsi librarii codicum Versionum graecarum haud raro rei facti reperiuntur; afferamus potius ea tantum loca, vbi vel integras sententias omisisse, vel loco duorum idem significantium vocabulorum vnum tantum posuisse reperiuntur. Talis locus exstat *Ezech. X, 19.* quem *Iustinus M.* in *Co-hortatione ad Graecos* p. 30 eo consilio laudat, vt *Platonem* e literis sacris totam fabulam suam de curru Iovis eiusque ignea essentia, hausisse, probet ac demonstrat. Hoc itaque vnice spectans non solum verba *καὶ ἐμπεριόδησαν ἀπὸ τῆς γῆς ἐὼπιον ἐμῆ*, sed etiam ea, quae statim sequuntur *καὶ ἔστησαν ἐπὶ τὰ πρόθυρα τῆς πόλεως οὗς κυρίως τῆς ἀπέναντι* tanquam aliena a re, quam tractabat, prorsus omisit. Eadem de causa idem *Iustinus M.* in *Apol. I.* p. 65. verba *Zachar. IX, 9.* *δικαίος καὶ σώζων αὐτός* omisisse videtur. Ideo enim hunc locum adduxit, vt ostenderet iam in *V.T.* libris praedictum esse, *Messiam* asinae pullo infidentem *Hierosolymam* esse ingressurum. Idem *Iustinus M.* in *Apol. I.* p. 68. verba *ἐνέγκασε τῶν κυρίων* et *καὶ τιμῆν*, quae in fine commatis septimi *Psalmi XCV* apud *Alexandrinum* leguntur, ideo sine dubio omisit, quia salvo totius loci sensu omitti posse opinaretur. Festinantiae autem eiusdem ac in describendo sacro textu negligentiae tribuendum esse videtur, quod in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 152 verba *καὶ Γόμορρα*, quae in versione *Alexandrina Gen. XIX, 24* post *ἐπὶ Σόδομα* leguntur, omisit, quae tamen in eodem libro p. 154 ab ipso addita reperiuntur. *Genes XVIII, 13.* in textu graeco Versionis *Alexandrinae* legitur: *τί ὄτι ἐγάλασε Σάρρα ἐν ἑαυτῇ.* Verba *ἐν ἑαυτῇ*, quae ipsi hebraicum redolere videbantur, omisit *Iustinus M.* in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 153. Eandem ob causam

suspicor, eundem ibidem p. 159 praepositionem ἐν ante τῶν ποδῶν σε et ἐπ' αὐτῆ post verba ἐφ' ᾧ νῦν ἐσηκας in loco Iosuae V, 16. neglexisse. Eundem quoque l. l. p. 229 verba ἀπὸ υἱῶν ἀνθρώπων, quae leguntur apud Iesaiam LIII, 14. ob verba ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, quae praecedunt, transmississe, vel ex eo apparere nobis videtur, quod in Apol. I. p. 85 verba ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων post ἡ δόξα 68 posuit, consentiente codice Alexandrino. Sic quoque ibidem p. 229 verba ἐν ἀγαθοῖς post ζήσεται Ies. LV, 3 et v. 4. ἀρχόντα καὶ προστάσσοντα ἐδνεσι omitted, illa, quia per se superflua esse existimabat, haec autem, quia ad rem praesentem ipsi pertinere non videbantur. Idem valet de locis Iesaiæ cap. LV, 11 et 12. quos *Iustinus M.* in *Dial. c. Tryph. Iudaeo* p. 232 ita laudat, ut loco ὁδὸς σε καὶ τὰ ἐντάλματα tantum τὰ ἐντάλματα ponat, quia brevitati studebat et alterum ei superfluum videbatur; et in sequenti comitate verba ἐν χάριτι omittit, quia huius vocabuli notionem iam in voce ἐξαλένται latere existimabat. Ne autem quis in opinione versetur, in *Iustino M.* tantum huius negligentiae in adducendo textu V. T. graeco, quae est in omissionibus, culpam haerere, etiam ex *Eusebio* et *Clementis Alexandrini* libris talium omissionum exempla nonnulla addamus. Sufficiunt autem haec pauca: Prov. I, 24. in versione Alexandrina legitur: ἐπειδὴ ἐκόλην καὶ ἐχ' ὑπνέσατε, καὶ ἐξέτενον λόγος καὶ ἐ προσέχετε. *Clemens Alex.* Paed. I. p. 126 posteriorem sententiam καὶ ἐξέτενον λόγος, καὶ ἐ προσέχετε plane neglexit, quia, sensum quod attinet, a priore non differre intellegebat. Idem quoque epitomatores egit *Stromat. Lib. I. p. 282*, ubi locum Prov. V, 8. laudat. Prov. XIV, 16. in omnibus codicibus Versionis Alexandrinae legitur: σοφὸς φοβηθεὶς ἐξέκλιεν ἀπὸ καυῆ, ὁ δὲ ἄφρων ἐαυτῷ πεποιθὸς μίγνεται ἀνίμῳ. Sed *Clemens Alex. Strom. Lib. II. p. 377* habet: σοφὸς — — καυῆ, ὁ δὲ ἄφρων μίγνεται πέποιθός. Eodem modo *Eusebius* in *Comment. in Psalmos* p. 16 verba καὶ ἐνθαμβὸν καὶ ἰσχυρὸν περισσῶς, quae leguntur apud Alexandrinos Daniel VII, 7, quia partim ob antecedens Φεβρόν, partim ob sequentem descriptionem minus necessaria ipsi videbantur, omisit, et ibidem p. 318 in loco Michae I, 3. ἐκπορεύεται ob sequens καταβήσεται praetermisit. Plura autem exempla ut commemoremus, eo minus necessarium videtur, quo plura iam sunt in hanc rem collecta a *Gratio* partim in *Dissertatione supra* laudata p. 32 sequ.; partim autem in *Epistola ad Millium* p. 22. *Locorum N. T.* autem, quae Patres graeci omittendis vocibus ac formulis

loquendi mutilarunt, catalogum exhibuerunt *Heinsius* (in Prolegomenis ad exercitationes sacras p. 8—10). *Croius* (in Observationibus in N. T. c. 23 p. 179), et *Michaelis* (in Dissertatione de variis lectionibus N. T. p. 27), quibus addi possunt observationes Celeb. *Matthaei* ad Matth. II, 8. et 1 Cor. I, 12.

Hujc negligentiae Patrum in excitandis SS. locis, quae cernitur in omissionibus, simile est illud aberrationum a textu graeco Versionum V. T. genus, quod est in *additionibus*, et in quo se manifeste prodit consilium eorum, partim intellegendi difficultatem in singulis locis minuendi, partim textum pleniorum, elegantiorum et numerosiorum reddendi. Quanquam enim concedi potest in nonnullis Patrum locis, ad hanc classem pertinentibus additamenta initio nonnisi in margine locum habuisse, quippe a librariis adiecta, ac deinde ab editoribus parum doctis et sagacibus, nec scholia a textu discernere valentibus, ipsi contextui admixta esse, tamen negari vix potest, ipsos Patres haud raro aliquid, quod deesse, aut iure desiderari posse ipsis videretur, ex aliis SS. locis maxime parallelis, aut de suo ad amplificandam et explicandam orationem, aut denique ex aliis versionibus graecis, quas in manu habebant, textui sacro addidisse ac adiecitse. Quarum additionum exempla in textu N. T. graeco obvia cum iam post alios *Heinsius* (l. l. p. 7 et 11), S. Ven. *Griesbachius* (in *Diss. crit. de codicibus IV Evangeliorum Origenianis* P. I. p. 32), et Cel. *Matthaei* (in notis criticis ad Rom. IX, 32. et 1 Cor. XI, 2.) collegerint ac notarint, nos quidem consilii nostri memores confirmandae huius observationis causa exempla tantum e Versionibus V. T. graecis desumpta, ac data opera a nobis collecta proferamus. Sic v. c. apud *Iustinum Martyrem*, ut ab hoc ordiamur, in Apok. I. p. 68 post verba *πᾶσα ἡ γῆ*, quae Psalm XCIV, 9 leguntur, verba *καὶ κἀπορωθήτω καὶ μὴ σαλευθήτω* e commate sequente male et inepte translata reperiuntur. Idem ibidem p. 71 laudans locum Iesaiæ I, 7 verba *κατεδίεσαν αὐτήν*, quae ibi reperiuntur in Versione Alexandrina, seu potius ea, quae illorum loco, permutando voces vnius eiusdemque significationis, posuit, *αὐτήν φάγονται*, ita continuat: *καὶ ἐκ ἑαυτῶν ὁ πατριῶν ἐν αὐτῇ*, quae verba ex Psalmo LXIX, 26. aut ex alio eiusdem argumenti loco delumta nobis esse videntur. — Deut. XXXII, 15. verbis Alexandrinorum *καὶ ἐνεπλήθη* non solum a *Iustino M.* in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 119, sed etiam a *Chryostomo* Homil. I. in Iudic. c. 2. p. 589 vox *ἐπιπλήθη* e sequen-

quentibus additur, quemadmodum ab eodem *Iustino* l. l. p. 149 ante verba *κέρυσσε θύγατρὲς Σιών* Zach. IX, 9. verbum *ἀλλάλαζον* inseritur. Non solum vero *Iustinum* M. additamentis ex aliis locis maxime parallelis textum *Versionum* V. T. graecum saepius depravasse, sed etiam *Athanasium*, *Theodoretum*, *Hippolytum*, *Clementem Alexandrinum* et alios plures idem fecisse, ut appareat, alia loca excitabimus. *Ierem.* IX, 1. in fine leguntur apud Alexandrinos verba haec: *τὸς τετραυματισμένους θυγατρὸς λαὸν μὲν*, quae apud *Athanasium Alex.* in *Serm.* de *patientia* p. 62 T. II *Novae Collectionis Patrum GG.* ed. *Montfaucon* hoc additamentum nacta sunt: *τὸς σοφῆς ἄγτας εἰς τὸ κακοποιῆσαι, τὸ δὲ καλὸν ποιῆσαι μὴ ἐπεγνωκότας*, quod nec in vilo *Versionis* Alexandrinae codice, nec in textu hebraico reperitur, sed e *Ierem.* IV, 22. huc translatum est. Apud eundem l. l. vbi excitatur locus 2 *Reg.* I, 19. post *δυνατὸν* legitur sententia: *καὶ ἀπόλωντο σκέπη πολεμικῆ*, e loco parallelo v. 27 eiusdem capituli desumpta, quam nullus hucusque collatorum codicum *Versionis* Alexandrinae agnoscit, et textus hebraicus prorsus respuit. *Theodoretus* *Quaest.* VII. p. 326. T. I. *Opp.* ed. *Halenf.* locum *Iud.* II, 6. hoc modo adducit: *καὶ ἕκαστος εἰς τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ*. Quanquam autem *Augustinus* in correctis exemplaribus *Quaest.* XIV etiam habet: *et unus quisque in hereditatem suam*, tamen iure nostro suspicari videmur vocem *ἕκαστος* orationis supplendae causa ex antecedentibus a *Theodoro* insertam esse. Similiter *Clemens Alex.* *Paedagog.* lib. I. c. 7. p. 110 verbis Alexandrinorum *ἀνάμεισον σε* *Gen.* XVII, 2. adiecit verba *καὶ σπέρματος σε*, quae quia non solum in textu hebraico nihil habent, cui respondeant, sed etiam in nullo codice *Versionis* Alexandrinae reperiuntur, et a reliquis scriptoribus antiquioribus v. c. *Philone Iudaeo de mutat. nominum* p. 1052, ac *Origine* *Homil.* III. in *Genesin* omittuntur, non ad ipsum textum Alexandrinorum pertinere, sed e commate 7 aut 10 a *Clemente Alex.* adiecta esse arbitramur. Huc etiam pertinet locus *Danielis* VII, 7, vbi observante *Cl. Segaar* et editore *Codici Chisiani* verbis: *ἔχον ὀδόντας σιδηρῆς μεγάλης* *S. Hippolytus* (ed. *Fabr.*) de *Antichristo* p. 12, quae v. 19 de vnguib. habentur, *καὶ οἱ ὄνυχες αὐτῶν χαλκοῦ*, addidit. Habet haec verba etiam *Theodoretus* in *Commentario* ad h. l., vbi tamen in *Codici* A. et B. aequae ac in ipso textu chaldaico desunt, nec eorum in sequentibus, vbi tamen singula fere verba diligenter explicantur, mentio iniicitur. Sed nolimus plura exempla congerere, ut *Patres graecos* ex aliis

aliis SS: locis inprimis parallelis, ex oratione antecedente, pariter ac sequente, mox singula verba, mox autem integras sententias textui graeco, ab ipsis laudato, adiecisse demonstramus. Transeamus potius ad illa loca ubi sensus magis exornandi, ac orationis amplificandae causa, interdum etiam infelici coniectura ductos, ac emendandi pruritu abreptos, nonnulla, quae ipsis deesse videbantur, addere ac supplere voluisse arbitramur. Sunt autem haec: Gen. II, 7. Alexandrini scripserunt: καὶ ἐπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χεὶν ἀπὸ τῆς γῆς. Sed Iustinus M. in *Cohortat. ad Graecos* p. 30 habet καὶ ἐπλασεν κ. τ. λ. λαβὼν χεὶν ἀπὸ τῆς γῆς. Participium λαβὼν, quod ignorat textus hebraicus, quanquam exstat in nonnullis libris veteribus v. c. MS. Oxon. Ed. Compl. et Ald., qui h. l. e Iustino M. interpolati esse videntur, sensus facilioris reddendi causa sine dubio insertum est. — Gen. XXI, 9. loco τὸν υἱὸν Ἄγαρ idem scriptor in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 151 scripsit τὸν υἱὸν ἄγαρ τῆς πατριδίσκους. — Gen. XLIX, 10. καὶ αὐτὸς προσδοκῶν ἔθνων. Iustin M. l. l. p. 148. καὶ αὐτὸς ἔσει προσδοκῶν ἔθνων. — Exod. XXV, 9. pro τὸ παράδειγμα τῆς σκητῆς καὶ τὸ παράδειγμα πάντων τῶν σκευῶν αὐτῆς, vt legitur in editione *Bosiana*, idem in *Cohortatione ad Graecos* p. 29 posuit, καὶ ἀναστήσεις τὴν σκηνὴν κατὰ τὸ παράδειγμα πάντων τῶν σκευῶν αὐτῆς. — Psalm II, 3. idem in *Apol. I.* p. 66. versionem Alexandrinorum voce λέγοντες ante διαρρήξωμεν auxit, vt sensum faciliorem redderet. — Idem ibidem p. 68 pro δαιμόνια, quam lectionem ipse in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 181 recte servavit, εἰδῶλα δαιμονίων scripsit. — Ies. VI, 10. post ἐκάρμισαν Eusebius in Commentario in Psalmos p. 256, ob verba antecedentia τοῖς ἄσιν κ. τ. ε. de suo addidit: καὶ τὰ ὄτα ἐβάρυναν. — Ion. IV, 11. Alexandrini paulo obscurius transulerunt: οἵτινες ἐκ ἐγνωσαν δεξιῶν αὐτῶν, ἢ ἀριστερῶν αὐτῶν; sed Iustinus M. in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 202 haec verba in οἱ ἐκ ἐγνωσαν ἀνὰ μέσον δεξιῶν αὐτῶν, καὶ ἀνὰ μέσον ἀριστερῶν αὐτῶν mutavit, vt sensum faciliorem redderet. — Zach. IX, 9. post περὶς Iustinus M. ibidem p. 149 de suo addidit πτωχός. Praeter haec autem a nobis laudata loca inprimis duo eiusdem scriptoris notatu maxime digna nobis visa sunt. Alter locus reperitur in eiusdem *Apologia I.* p. 72, vbi adducitur comma sextum cap. XXXV Iesaias, quod incipit a verbis: τότε αἰετῶν ὡς ἔλαφος ὁ χαλός κ. τ. λ. Illud τότε, quod per se nec inspecta orationis serie obscurum fuisset lectoribus Iustini, mutavit in verba

planiora: τῆ παρβολῆ αὐτῆ, scil. Χρηστῆ, quod ex antecedentibus erat supplendum, reliqua autem verba e variis locis compilavit. Quo exemplo satis, ut opinamur, edocemur Patres graecos in adducendis SS. locis e ferie orationis nonnulla interdum verba addere solere, quibus lectores suos de argumento et obiecto pericopae, e quo locus est desumptus, edoceant. Alter autem locus, e quo, quam infelici coniectura ducti PP. GG. haud raro aliquid addiderint, luculenter apparet, extat in Deuteronomio cap. XXXIII, 15. quem *Iustinus M.* in *Dial. e Tryph. Iud.* p. 188 ita adduxit, ut pro βενῶν ἀενάων scripserit βενῶν καὶ ποταμῶν ἀενάων. Sine dubio in opinione versabatur, vocabulum ἀενάων non commode de collibus usurpari posse, sed esse de fluviis proprium. Non autem cogitavit vocabulum praecedens κορυφῆς insertum ποταμῶν nullo modo admittere. Omnia autem haec, quae sunt a nobis hucusque collecta ac proposita, quemadmodum, quanta Patres graeci in additamentis suis ad textum graecum versionum antiquarum V. T. vsi sint licentia, satis superque declarant, ita fontem nobis monstrant, e quo librariorum vel incuria, vel ignorantia non solum in codices versionis Alexandrinae, sed etiam in Hexapla Origeniana additamenta haud raro emanarunt ac irrepserunt. Huius depravationis varia quidem in medium producere possemus exempla, sed brevitati operam daturi partim remittimus lectores ad *Curas nostras criticas et exegeticas* in Threnos cap. I, 15. et III, 16. (quae extant in *Eichhornii Repertorio Bibl. et. Orient. Literat.* T. XII, p. 9 sequ. et 31.) partim provocamus ad unum tantum locum, qui Levit. XVI, 8. reperitur, ubi in *Aquila* fragmenta verba εἰς τὴν ἕρημον sine dubio e *Theodoro* Quaest. XXII in Levit. p. 199 ed. Hal. irrepserunt, qui ea e commate 10 supplevit. — Non possumus autem hac data occasione plane silentio praeterire, quod a re, quam tractamus minime est alienum, potius arctissime est cum ea coniunctum, *Patres graecos, inprimis eos, qui laudabili valde studio in libris sacris explicandis ita versati sunt, ut plures subinde versiones graecas sacri codicis inter se comparaverint, etiam hanc habuisse consuetudinem, ut textui Versionis Alexandrinae graeco, reliquorum interpretum graecorum V. T. versiones interdum admiscuerint ac inferuerint, adeoque in ipsorum scriptis (haud raro etiam editorum incuria, qui fragmenta versionum graecarum in margine notata ipsi contextui admiscuisse reperiuntur) diversorum interpretum versiones sine ulla distinctionis nota haud raro copulatae reperiantur.* Quae consuetudo quam

quam foecunda fuerit errorum mater, dici vix potest. Haud raro enim ac variis modis in talibus locis decepti sunt Versionis Alexandrinae editores, recentiores pariter ac antiquiores, nec semper in reiiciendis ac fecerendis talibus additamentis diligentem adhibuerunt operam. Nec facile hic errorum ac depravationum fons detegi ac observari poterat, nisi in illis locis, ubi fragmenta Versionum graecarum, e quibus Patres graeci textui Versionis graecae, quam laudant, aliorum interpretum graecorum verba admiscuerunt, ad nostra pervenerunt tempora. Det-cto autem hoc fonte facile iam variis Versionum graecarum locis librariorum ac editorum culpa corruptis medela afferri potest. Sed ne res ipsa, de qua iam disputamus, in dubium vocari possit, ut iam exempla nonnulla observationis nostrae confirmandae causa addamus, opus erit. Sunt autem haec: Prov. III, 3. in versione Alexandrina verba hebraica **דְּבַר יְיָ לֹא תִמְנָה וְהַסֵּד** ita translata reperiuntur. *ἐλεημοσύνη καὶ πίστις μὴ ἐκλειπέτωσαν σε.* Sed *Clemens Alex. Strom.* lib. I. p. 354 contra omnium hucusque collatorum codicum auctoritatem ita scripsit: *ἐλεημοσύνη καὶ πίστις καὶ ἀλήθεια μὴ ἐκλειπέτωσαν σε.* Sponte apparet verba *καὶ ἀλήθεια* alius interpretis versionem, ad hebraicum **וְהַסֵּד** pertinentem, continere. Aquilae autem haec verba reddenda esse, Hexapla Origenis a Montfauconio edita satis superque docent. An vero haec Aquilae versio in textum Clementis Alex. e margine librariorum aut editorum culpa irrepserit, aut ab ipso consulto et explicationis causa addita fuerit, diiudicare equidem vix audeo. Prior tamen sententia alio eiusdem libri loco confirmatur, qui lib. III. p. 449 reperitur, ubi sententia Salomonis sine illo additamento laudatur. — Gen. II, 18. Montfauconium ex *Anastasi Sinait. Serm. 9. in Hexaem.* male Aquilae tribuisse versionem *ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθόν*, neque vidisse mixta hic esse verba LXX Intt. et Aquilae, quod omnino non raro factum est a doctoribus veteris Ecclesiae Christianae, satis demonstratum est a *Scharfenbergio* in *Animadversionibus ad fragmenta Vers. GG. V. T.* Spec. I. p. 2 sequi. — Ies. LXX, 18. post verba *ἐν αὐτῇ* a *Iustino M.* adduntur verba: *ὅσα ἐγὼ κτίξω*, quae sunt *Theodotionis*, cui in Codice Marshaliano diserte tribuuntur. Fidem huic rei etiam facit *Hieronyni* auctoritas ita scribentis: „Quod autem in fine huius testimonii dicitur: quae ego creo, a LXX praetermissum est.“ — Thren. I, 9. **וְהָרַד פְּלִיאֵי**. Haec verba, quae sunt de insigni everfione explicanda, Alexandrini verterunt: *καὶ*

κατεβίβασεν ὑπέρογκω, quam lectionem praeter reliquos codices versio Arabica confirmat. *Theodoretus* autem habet: καὶ πέπτωκε θάυμαζός sine dubio e *Symmachio*, cum reliquorum interpretum versiones in Threnos non ferantur. — Ibid. III, 7. pro ἐβάρενε χαλιόν με *Theodoretus* scripsit ἐβάρενε τὸν ζύγον τῆ τραχήλου με, quae verba *Symmachio* in Hexaplis Origenianis recte tribuuntur. Huc etiam pertinent loca Thren. III, 23 et 26, de quibus iam est a nobis expositum in *Curis nostris criticis et exegeticis in Threnos* (quae sunt insertae *Eichhornii Repertorio bibl. et orient. literat.* T. XII.) p. 34 sequ. — Ies. LXV, 20. post vocem ἄωρος apud *Iustinum M.* additum legitur ἡμέραις, quod teste codice *Marshalliano* e *Theodotione* est. — Ibid. XLI, 5. ex *Theodotione* addidit *Theodoretus* vocem ἐξέστησαν post γῆς. — Ibid. v. 21 sententia Φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν post verba ἤγγισαν αἱ βελαὶ ὑμῶν apud *Theodoretum* e *Symmachi* reliquiis inserta reperitur. — Ib. LI, 1. loco ἦν *Theodoretus* habet ἐξ ἡς, quod *Theodotionis* esse in Codice *Marshalliano* notatur. — Ibid. LIII, 10. verba ἐν χειρὶ αὐτῶ, quae apud *Theodoretum* et in Edit. Complut. et Ald. post κύριος leguntur, ex *Aquila*, *Symmachi* et *Theodotionis* fragmentis desunta sunt, quare etiam apud *Procopium* sub asterisco tribus interpretibus adscribuntur. Ex iisdem fontibus venerunt quoque verba ὑπὸ θεῶ, quae post πληρῆ ἰbid. v. 4 apud *Theodoretum* et in Ald. ac Compl. exstant, et a *Procopio* sub asterisco *Aquila* et *Theodotioni* tribuuntur. — Locus Amos VI, 7. in versione Alexandrina ita translatus reperitur: διὰ τῶτο νῦν ἀχμαλωτοὶ ἔσονται ἀπ' ἀρχῆς δυναστῶν, καὶ ἐξαρθήσεται χρεμετισμός ἵππων ἐξ Ἐφραΐμ. Sed apud *Iustinum M.* in *Dial. c. Τυγρη. Iud.* p. 238 longe aliter se habet versio Alexandrina, nempe hoc modo: διὰ τῶτο νῦν ἀχμαλωτοὶ ἔσονται ἀπ' ἀρχῆς, δυναστῶν τῶν ἀποιμιζομένων, καὶ μεταστραφήσεται οἴκημα καὶ ἔργων, καὶ ἐξαρθήσεται χρεμετισμός ἵππων ἐξ Ἐφραΐμ, vbi verba, quae sunt maiusculis literis expressa, alius interpretis versionem continere recte iam indicavit L. Bos. — Idem iudicium ferendum quoque est de loco Amos VI, 1., qui ibidem a *Iustino* ita laudatur: εἰ οἱ κατασπαταλῶντες σιών, καὶ τοῖς πεποιθόσιν ἐπὶ τὸ ὄρος Σαμαρείας, εἰ ὀνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς, ἀπετρούγησαν ἀρχαὶ Ἐφραΐμ. De quo loco ita nos quidem indicamus. Vox κατασπαταλῶντες, quae apud *Iustinum M.* pro ἐξεθενδοῖς in versione Alexandrina reperitur, *Aquila* reddenda est. Magis enim respondet hebraico

braico מַנְיָם, quam vox ἐξεδείξει apud Alexandrinos, qui vel sensum expressisse, vel cum Syro legisse videntur מַנְיָם, quae et sine dubio est vera lectio. In ultimis verbis duas versiones coaluisse statuimus. Hebraicum מַנְיָם enim interdum etiam in bonam partem adhibetur, et notat *celebrem esse*, quemadmodum quoque arabicum *مَنْيَم* *ducem et tribunum* significat. Hanc notionem exprimere fortasse voluit incertus ille interpres apud *Iustinum M.*, qui ἀνομασμένοι posuit. De altera versione ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς praeter *Bielium* in *Thesauro philol.* f. h. v. legendus est *Isaacus Vossius* de LXX Intt. c. 23. p. 73. — Ier. XVII, 1 — 4. loco παραδεδώλω σε τοῖς ἐχθροῖς *Eusebius* in *Praepar. Evangel.* L. X. ex alia versione posuit ἀναβιβῶ σε ἐν ἐχθροῖς permutatione facta literarum ד et ר in voce העכרהך. Confer. ibid. XV, 14. apud Alexandrinos. — Ierem. XXII, 15. *Theodoretus* recessit a versione Alexandrina, quae falsam textus hebraei lectionem sequuta est, et posuit Aquilae versionem: ὅτι σὺ ἀμίλλασαι πρὸς τὴν κέδρον. — Ier. LIII, 3. loco μαρτύριον *Iustinus M.* in *Dial. c. Tryph. Jud.* p. 229. ex *Aquila* et *Symmacho* μαρτυρεα habet. — Iudic. XVIII, 30. *Kennicottus* in *Diss. II. super ratione textus hebr. V. T.* p. 48 sequi ed. *Telleri* pro מנשם legendum esse censet משה. Alexandrini in nostris editionibus cum codice hebraico plane conspirant. Scholia autem Romanae editionis (anno 1587 divulgatae et dein aliquoties repetitae), quae exhibet etiam editio *Bosiana* hoc loco, habent: ἰανᾶθαν υἱὸν μανασσῆ, υἱὸν ξηχᾶβ, υἱὸς μωσῆ. At *Theodoretus* in suis quaestionibus in hunc librum, ut notavit iam *Nobilius* contextum sic praebet: ἰανᾶθαν υἱὸς μανασσῆ, υἱὸς Γησῶμ, υἱὸς Μωσῆ. Alia nimium translatio habebat, quod legimus in Romana editione υἱὸς Μανασσῆ, alia et rectius quidem υἱὸς Μωσῆ. Utramque vel ipse lociavit, vel ita iunctam reperit vir doctissimus. — Daniel IX, 24. Alexandrini: συντελεσθῆναι τὴν ἁμαρτίαν καὶ τοῖς ἀδικίαις σπανίσαι. Pro σπανίσαι Interpretem scripsisse σφραγίσαι vix ambigendum videtur. *Athanasius* de incarn. verbi Dei T. I. p. 92. ed. *Colon.* utrumque in passivo: τὴ συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν, καὶ τὴ σφραγιθῆναι ἁμαρτίας. *Theodoretus*: ἕως τὴ παλαιωθῆναι τὸ παραπτωμα καὶ τὴ τελεσθῆναι ἁμαρτίαν καὶ τὴ σφραγίσαι ἁμαρτίαν. Ita ut saepe duas translationes, quod hic etiam monuit *Nobilius* lociavit eruditissimus interpres, qui, inprimis cum *Commentarium* suum in *Danielem* con-

scriberet, plures, ut ipse non semel expresse monet, in consilium vocavit interpretationes. Fuit nimirum, qui pro מלכא legeret מלכא: hinc nata est ista versio ἕως τῆ παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα. Quae omnia sunt iam recte observata a Cl. Seagar in *animadversionibus ad Daniielem secundum septuaginta ex tetralis Origenis ex Chisiana codice editum* (Trai. ad Rhen. 1775. 8.) p. 53, qui etiam alia exempla adiecit. — Ies. X, 4. verba καὶ ὑποκάτω ἀνηρημένων πεσόντων, quae post ἀπαγωγὴν h. l. non solum in Ald. Compl. Basil. et Alex., sed etiam apud Theodoretum reperiuntur, e Theodotionis versione huc translata sunt. Ibid. XI, 4. ἐν ἐυθύτητι, quod post ἐλέγξει, apud Theodoretum legitur, reliquis tribus interpretibus est reddendum. Alia exempla, qui scire cupiat is adeat partim *Curas nostras Hexaplares in Psalmorum libros ex Patribus graecis* (Goett. 1785. 4. editas) p. 17 sequ., partim *Bibliothecam Goettigensem literaturae theologiae*, a nobis et S. V. Stäudlinio editam, Vol. I. p. 86 sequ. 91 et 160.

Iam vero, ut ex his exemplis satis superque apparet, quanta cautione opus sit in constituenda Versionum graecarum V. T. lectione genuina e Patrum graecorum scriptis, ita, qui eorum auctoritate in emendandis et augendis harum versionum fragmentis recte uti velit, etiam reliquas rationes, quibus in allegandis interpretibus graecis V. T. uti solent, recte teneat ac cognitae habeat necesse est. Evolvantibus autem nobis eorum scripta ac diligenter manibus nostris versantibus haecce inprimis observatu digna nobis visa sunt: *Habere nempe Patres graecos hoc in more positum, ut in allegandis plurium interpretum versionibus tantum ea verba, in quibus invicem dissentiunt separatim, reliqua vero, omnibus communia, semel tantum ponant* (v. c. Pf. XLIII, 9. Vide *Curas nostras Hexaplares in Psalmos* p. 20.) — *cum contra haud raro duas minime diversas versiones Interpretum graecorum separatim ponere soleant* (confer. Biblioth. Goetting. Vol. I. p. 16 sequ.) *eisdem saepe diversas versiones uni eidemque interpreti tribuere, inter quas ea demum vera censenda est quae aliis locis confirmatur* (v. c. Pf. XXXI, 3, et XXXVI, 25. Vide *Curas Hexaplares in Psalmos* p. 16 et 17.) — *interdum etiam in Patrum graecorum scriptis verba interpretum veterum inepto plane loco posita esse, ut loca Pf. XX, 2. et XXV, 6, de quibus est a nobis in iisdem Curis saepius laudatis p. 12 et 14 diligenter expositum, clarissime docent.* — *Patres etiam nonnunquam*

quam de auctoribus versionum graecarum, quas laudant, et Codicum suorum lectionibus tam vage loquuntur, ut quasnam in mente habuerint, aut sequuti fuerint, hariolando vix assequi possimus. Sic v. c. satis inter viros doctos conflat, versionum Aquilae ac Symmachi duas olim extitisse editiones, aut potius utrumque duas diversas translationes edidisse, quarum Hieronymus et alii passim mentionem fecerunt, quorum loca congescit *Montfaucon* in *Prolegomenis ad Hexapla Origenis* cap. 5 et 6. Iam quamnam harum translationum, aut si mavis, editionum, Patres graeci in singulis locis sequuti fuerint, diligenter investigandum et explorandum erit. Alii enim Patres priorem, posteriorem alii sequuti sunt, et iidem modo hac modo illa, prout cuique apta aut bona videretur interpretatio, vbi reperiuntur, ut docuit *Cel. Fischerus* Prol. XXX. de vitis Lexic. N.T. p. 24. Idem valet de ἄλλω, qui haud raro ab iisdem Patribus nominatur, qua nota quis indicetur in singulis locis, nonnisi coniectura assequi aliquis valet, in multis autem anceps relinquitur iudicium. Vbi enim ἄλλον nominant, eiusque versionem laudant, haud raro intellegunt Alexandrinos interpretes (v. *Fischeri* Prol. XVI. p. 7, et *Segaar* ad Daniel. XI, 30. 36.) interdum *Symmachum* (v. c. Pf. XLVIII, 10. v. *Curas nostras Hexaplares in Psalmos* p. 23.) mox alia SS. loca (v. c. Ies. LIX, 11. conf. *Observationes nostras criticas in versiones criticas oraculorum Iesaias* p. 20.) mox vero interpretes SS. sui temporis, quos etiam τῶν nota insigniunt. Vide *Biblioth. Theol. Goetting.* Vol. I, p. 166. Saepe sub nota ἄλλος in Hexaplis Origenianis tradi scholia, et varias lectiones, Patrum graecorum exempla evincunt, quae sunt a nobis prolata partim in *Curis hexaplaribus in Psalmos* p. 5 sequ., partim in *Commentario novo critico in Versiones veteres Proverbiorum Salomonis* Spec. I. p. 7. et Spec. II. p. 9. Aequae late quoque patet vox ἀντιγραφαί, quae etiam haud raro in scriptis PP. GG. commemorantur, de quibus videndus est *Grabius* in *Diss. de vitis* etc. p. 18 — 22. Confer etiam *Observationes nostras criticas in Versiones graecas Oraculorum Iesaias* p. 8, et S. V. *Griesbachii* *Diss. de Codd. Origenianis quatuor Evangeliorum* P. I. p. 12. — Eodem modo extra dubitationis aleam positum est, quod ii, qui PP. GG. scriptis in re critica V. T. recte uti velint, nullo modo ignorare, immo bene tenere debent, *Patres graecos non solum diversa SS. V. et N. T. loca coniungere solere sine ulla distinctionis nota* (v. *Iustin. M.* Apol. II. p. 74 et *Clement. Alexandr.* p. 186.), sed etiam aliquando plura SS. loca

ita

ita iunxisse, et e duobus, tribus quatuorve aut pluribus locis verba et sententias ita collegisse, ut unicum locum constituere aut indicare videantur. Confer *Craji Observationes* cap. 20 et 21 p. 153 sequ. — Reperiuntur praeterea alia loca in PP. GG. inprimis eorum, qui seiori aetate vixerunt, scriptis, ubi nomina Interpretum veterum invicem permutata exstant, ita ut verba, ab Alexandrinis Int. adhibita, reliquis interpretibus tribuantur et vice versa, quam in rem nonnulla exempla collecta sunt in *Curis nostris hexaplaribus in Psalmos* p. 9, 12 et 20. *Bibl. theol. Gotit.* Vol. I. p. 19 et 93, et in *Repertorio Eichorniano* P. III. p. 218. — In ipsis denique locis SS., quae a PP. GG. passim adducuntur, magna quoque adhibenda est cautio ac sagacitas, ut ad quemnam SS. locum vere respexerint, indagemus, et ne loca parallela et allegationes V. T. in N. T. factae invicem confundantur, caveamus, nes nos editorum levitate et incuria decipi patiamur. Sic v. c. *Eusebius* in *Commentario in Psalmos* p. 348 haec habet: *νόστος δὲ καὶ τὸ ἐν τῆς λέξεως ἐν Ἡσάια προφητείας εἰς αὐτὸ πρόσωπον τῆ κυρίας ἰδὲ δέδοκα σε εἰς διαθήκην γενέας, εἰς Φῶς ἔθνων. ἀνοίξαι ὀφθαλμοὺς τυφλῶν, ἐξάγειν ἐκ δεσμῶν δεδεμένους, καὶ ἐξ οἴκου Φυλακῆς καθημένους ἐν σκότει.* Erravit *Montfauconius*, qui in margine notat, hunc locum desuntum esse ex Ies. XLIX, 6., cum potius sumtus sit e loco parallelo cap. XLII, v. 6 et 7. — *Iustin. M.* in *Co. hort. ad Graecos* p. 30, ubi in eo est, ut demonstrat, Platonem a Iudaeis mutuasse narrationem de curru Iovis eiusque ignea essentia ita scribit: *ἔγνω γὰρ ἀπὸ τῶν τῆ προφήτε περι τῶν χειρβιμ ἕως εἰρημένων καὶ ἐξήλθε δόξα κυρίας ἀπὸ τῆ οἴκου, καὶ ἐπέβη ἐπὶ χειρβιμ, καὶ ἀνέλαβε τὰ χειρβιμ τὰς πτέρυγας αὐτῶν, καὶ οἱ τροχοὶ ἐχώμενον αὐτῶν, καὶ δόξα κυρίας, θεῆ Ἰσραὴλ, ἦν ἐπὶ αὐταῖς ὑπεράνωθεν.* In margine editionis, quae *Hagae Comit.* 1742 prodit, notatur locus *Ezech.* XI, 22, ubi similis descriptio occurrit, sed *Iustinum* ad locum *esp. X.* 18. 19. vere respexisse collatio vtriusque loci quemque docere potest. — Ab eodem *Iustino M.* in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 175 laudatur locus *Michae* V, 2. Verba vero ipsa graeca non sunt e versione Alexandrina, sed e loco *Matth.* II, 2. ducta. Eadem observatio valet quoque de loco *Ierem.* XXXVIII, 15., qui paulo post affertur, non ex ipso textu graeco *Ieremiae*, sed ex loco *Matth.* II, 8. Vere autem tunc temporis, quo haec dicta excitavit, *Iustinum* Codicem Evangelii *Matthaei* ad manum habuisse, apparet ex antecedentibus, ubi *Magorum* ex Oriente mentio iniecta est. —

Verba

Verba SS. εἰδὲ ἐυρέθη δόλος ἐν τῷ ἑρμῆτι αὐτῶν, quae adducit *Eusebius* in Comm. in Plalmos p. 49 non sunt ex Isf. LIII, 9., sed ex 1 Petr II, 22. desumpta. — *Cosmas Indicopleusta* in *Topographia Christiana* Lib. II. p. 157. citat locum Aggaei II, 7. hoc modo: ὅτι ἐτι ἀπαξ ἐγὼ τείσω ἔμνον τὴν γῆν ἀλλὰ καὶ τὸν ἕρανόν, sine dubio Paulum secutus in Ep. ad Hebr. XII, 26. Adde locum 1 Reg. XIX, 14. 18. apud *Iustinum M.* in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 136. et confer *Cappelli Criticam*, S. T. III. p. 86. et *Grabium* in *Epistola ad Millium* p. 77. Minus quidem morabitur lectores, nihilominus tamen observatione dignum est aliud huic simile allegationum genus, quo PP. GG. in nominibus auctorum singulorum SS. librorum haud raro errasse deprehenduntur. Sic v. c. *Iustinus M.* in *Apol. I.* p. 65 verba χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιών κ. τ. λ., quae in Zachariae Oraculis Cap. IX, 9. leguntur, memoria lapsu προφήτης τῷ Σαφονίᾳ τὰς τῆς προφητείας λέξεις esse contendit, cum tamen in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 149 Zachariae haec verba recte tribuat. *Ibid.* p. 73 leguntur haec verba: ἀνεσῆται καὶ τῶν εἰρημένων εἰς τὸτο διὰ τῷ Ἰερεμίᾳ τῷ προφήτῃ ἐπι δὲ ταῦτα ἰδὲ ὡς — — αὐτῶν. Sed hic locus, quem laudat, non est Ieremiae, sed Danielis VII, 13. — *Ibid.* in *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 115 Hoesas loco Zachariae, et p. 71 Iesaias pro Ieremia (Cap. L, 3.) nominatur. Nullo autem in loco turpius erravit *Iustinus M.*, quam in *Apol. I.* p. 64, vbi ita scribit: καὶ ἡσείσας δὲ ἄλλος προφήτης τὰ αὐτὰ δι' ἄλλων ἔησεων προφητεύων ἔτος ἔπεν' ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ ἰακωβ, καὶ ἀνδρος ἀναβήσεται ἀπὸ τῆς βίβης Ἰεσσαί; vbi iam observarunt et monuerunt Interpretes, a Iustino memoriter citante ex duobus oraculis Bileami et Iesaias vnum factum esse.

Sed quanquam multa adhuc supersunt, quae de cautionibus in Patrum graecorum scriptis, ad amplificandos criseos sacrae fontes, adhibendis a nobis disputari ac moneri possent, tamen ne lectorum patientia abuti videamur pedem hic figere, et huic observationum collectioni finem imponere placet. Veniamus potius ad id, cuius causa est haec scriptio a nobis instituta. Commendandi nempe sunt vobis, CIVES CARISSIMI et DOCTISSIMI, dies festi memoriae nativitatis Christi sacri, qui summa religione ab omnibus veris et piis eius sectatoribus sunt celebrandi. Diligenter hoc nostro tempore, quid Christo optimo nostro Magistro et Evergetas in hac aequae ac futurae vitae debeatis, et qua pietate qui:

quibusve officiis summam eius humanitatem et benevolentiam remunerari, vobis incumbat, cogitate ac perpendite non solum, sed etiam novis plane sensibus sumtis vos totos ad eius exemplum componere studete. Ita otio vobis concessio sapienter utemini, et Deum O. M. semper *Vobis* propitium habebitis, et omnibus iustis conatibus *Vestris* prosperrimos annuentem successus.

P. P. Fer. I. Nativ. Christi MDCCXCVIII.

VI 216

5. + 24. 8m 2:00

23 = E

39 = t.




TA → 02

vd 18

VD 17

04.200 n. 6cl,





OBSERVATIONVM NONNVLLARVM

DE

PATRV M GRAECORVM AVCTORITATE ET VSV
IN CONSTITVENDA VERSIONVM GRAECARVM
V. T. LECTIONE GENVINA

17
1798

P A R S I V.



ACRVM

R GENSI

N E

HLEVSNER

IN ACADEMIA VITE-
STORII ECCLESIASTICI
POSITVS, H. T.
DECANVS.

LTZERL

bsitata
v) vlt
lam
stratum
d raro
verba
er in
textui
on fa
a codi
multa
m no
ere co

et in
moriae
milito
igiola
rechio
bono
tatem
orum,
s mo

p. 8,
racu-
Pro-
orum
p. 5,

